

Sächsische

39	8°
----	----

5665

Landesbibl.

HISTORIA
NATI CHRISTI

Verfu Hexametro compre-
hensa.

& in

ACADEMIA WITTEBERGENSI
INCLITA

Dominica post **NATALEM**
CHRISTI

Anno Salutis

1712

publicè recitata.

à

CHRISTIANO KEIMANNO

Zittaviâ - Lusatia.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ
GEORGII MÜLLERI,

RECTORI
ACADEMIÆ WITTEBERGEN-
SIS MAGNIFICENTISSIMO,

Illustrissimo Domino

DNO. GUSTAVO,
GUSTAVI MAGNI
Svecorum, Gothorum, ac Vandalorum
REGIS &c: G L O-
RIOSISSIMI

*Nunc inter Heroes Beatos
aternum TRIUMPHANTIS
FILIO:*

DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.

C. V. Q. E.

D. D. C.

humilime

Auto

Serenissimi ac Potentissimi
ELECTORIS SAXONIÆ

PROTOSYNEDRII
DRESDENSIS

PRÆSIDI Amplissimo,
ASSESSORIBUS Gravissimis,
SECRETARIO Spectatissimo &c:

ACADEMIÆ
WITTEBERGENSIS

PRORECTORI Magnifico,
PROFESSORIBUS Celeberrimis
ADIUNCTIS Dignissimis &c.

VIRIS

*Generoso, maximèq; Strenuo,
Admodùm Reverendis, Nobilissimis, Ma-
gnificis, Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis,
Experientissimis, Excellentissimis, atq;
Præstantissimis*

REIPUBLICÆ
Ecclesiasticæ, Politicæ, Literariæq;
LUMINIBUS & COLUMINIBUS

A 2

Dnis. P A.

Dnis. PATRONIS, ME COENATIB
PRÆCEPTORIBUS & FAUTOR
BUS MEIS

Hanc sacram

CHRISTI NATI HISTORIA
devoto animo
& summisso

*in mei studiorumq; meorum
commendationem*

O.

Non ego jejunis laurum mihi versibus oro,
Quamquam ô, sed referant, quibus hoc indulg
Apollo,

*Nec jactò vires: sed grato carmine natum
Accelebro Christum: spectavit Christus agreste
A solo quondam Pastorum murmur amore.
Vos quoq; Patroni spectate, precabor, ab uno
Murmur amore meum, Vestroq; favete clienti,
Sic vobis Christus faveat: sic prospera quæq;
Afferat hic novus annus & aurea munerapacis
Donet, & ætherei pascant nos pabula verbi.*

CHRISTIANUS KEIMANNI
Zittâ - Lusatus.

PRO

PRORECTOR
ACADEMIÆ VVITTEBER-
GENSIS

JOHANNES HULSEMANNUS
SS. Theolog. Doctor, Professor,
& Alumnorum Electoralium
Ephorus,

Civibus Academicis S. D.



Digna omninò judicanda
Poësis est, quæ ab ingenuis & libera-
li indole præditis adolescentibus per-
tractetur. Expolit enim ea mirificè
animum, & quod in eo asperum incultumq; est,
levigat quasi & corrigit, & ad leporem quendam
& amœnitatem perducit. Ita verò ei studen-
dum est, non ut laborem nostrum & operam oc-
cupemus in nugis, aut aliis rebus istiusmodi, quæ
corrumpendis bonis moribus sint, & honestati ad-
versentur; sed potiùs meminerimus ejusmodi
nobis esse condenda carmina, quæ laudes & Dei
& Virorum virtute illustrium prædicent, & utilis-
simarum rerum conservent memoriam. Quod
ut probè intellexit Ornatiss. Juvenis CHRIS-
TIANUS KEIMANNUS Sittâ - Lusatus,

A 3

ita

ita id diligenter observavit quoque hactenus, cum
animi gratia id studii genus revocans aliquod
temporis in conscribendis carminibus colloca-
ret. Ut nuper, cum Nativitatis Christi Histo-
riam Latino carmine, eoque heroico, explicare in
animum induxisset. Quod ipsum carmen cum
finitis Sacris pomeridianis in Auditorio majore
publicè postea recitaturus sit, Vestrum est, eò fre-
quenter vos convenire, eiqvè benevolam atten-
tamque in audiendo operam navare. Nihil
profectò jucundius suaviusque Christiano homini
esse potest, quam scire, Deum natum esse homi-
nem, idque propter homines, ut homines scilicet
Deos faceret, hoc est, gaudia, quæ solus habebat,
nobiscum communicaret. Jam si movet ma-
gis animum atque delectat carmen numerosum
ac elegans, quam libera solutaque oratio; non ope-
ram ludetis eequidem, si KEIMANNO nostro
promptè ac prolixè adfueritis. Id igitur ut facia-
tis, sedulò vos adhortamur. PP. DOMI-
NICA ultima anni M. DC. XXXII.

CUM



CUM CHRISTO
NATI CHRISTI
HISTORIA.

Sanctus amor Christi iussit me dicere Versu
Bethlêhma geniti prima incunabula Christi:
Christe fave, placuere tibi, quæ Carmina Pastor
Accinuit puero, tenui modulatus avenâ.

Christe fave, tenuesq; modos & murmur amantis
A solo tantum spectata clementer amore.

Tu quoq; Magnifico celebris Pro-Rector honore,
Et Vos sive viam nobis monstratis ad astra,
Sive sacra Themidos mysteria panditis Orbi,
Sive Machaoniâ languentes arte levatis,
Seu variis Sophies celebratis, pectora donis,
Vos præceptores, Mecænatesq; favete!

Vos Juvenes, seu vos veterum decora alta parentum.

Seu celebrat doctrina, & mortis nescia virtus,
Este boni facilesq; mihi, captisq; favete!

Augustus Caesar ramis insignis Olive,
Pacarat terras, & Jani templa secundum
Clauserat, & longâ placidos in pace regebat

A 4

Romanos

Romanos rerum Dominos, gentemq; superbam,
Et populos quoscunq; suâ videt aureus arce
Sol, seu manè oritur, seu vespere mergitur undis.

Ergò & principibus Judæ permissa tenebat
Sceptra potens, Regemq; dabat, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Hinc miseri Herodem Galilæa per oppida cives
Horrebant Regem, quo non immanior alter;
Hunc Solymam premere immani ditioe dolebant;
Namq; is dum regno metuit, sceptrisq; superbis
Progeniem Judæ penitus delere parabat,
Hac siquidem audierat sobolem de stirpe futuram
Egregiam, & patrii quæ sceptrâ capesseret Orbis.

At parte ex aliâ Romanis missus ab oris
Jura dabat, Syriamq; omnem ditioe tenebat:
Sic Patriâ amissâ Dominis parère superbis
Cogitur heu Judas, cui quondam fœdere certo
Promisit Pater imperium, semperq; Magistrum
Ante pedes, donec perfectò temporis orbe
Messias solium caperet promissus avitum,
Signa ea clara quidem, si mens non levis fuisset,
Auxilio jamiam venturum cœlitus orbi
Promissum Patribus, serisq; nepotibus olim.

Illum equidē expectant omnes, precibusq; salutem
Exposcunt omnes, Messias deniq; mundo
Adveniens fasces, & sceptrâ capessat avita,
Ingeminant omnes: verum qui vivere dignè
Messiâ cupiat, non est; qui crimina, moresq;

Emacu-

Emaculet, scelus exosus, mentemq; superbam:
Omnibus est animus regno aspirare potenti.
Nemo ideò Christum venturum credit in Orbem,
Infernas ut opes, & lamentabile regnum
Evertat, coeliq; libens in parte reponat
Omnibus exhaustos jam casibus omnium egenos:
Verum ut victor ovans Judæam fascibus omnem
Liberet Ausoniis, regniq; instauret honores
Antiquos, veluti Salomon, atq; acer in armis
Davides, Regesq; alii de sanguine Juda.

At pauci, quorum melior sententia menti,
Ut senior templi custos, Abiaq; creatus
Sanguine Zacharias, fortunatusq; laborum
Egregiusq; animi: nec non maturior annis
Conjux Helisabe, nulli virtute secunda,
Temporis illius Simeon justissimus unus
Et Phanuel, simul Anna parens, Joachimus &
ipse

Insignis pietate senex, senior Josephus
Atq; vel imprimis virgo pietate Maria
Percelebris, nuper Josepho sponsa virago:
Pauci præterea, quos fama obscura recondit,
Jova notat, novitq; suos & nomine signat,
Christum orant, tædet mundi peccata videre,
Afflictosq; pios; Ergò seu nuncia Solis
Illustret Matuta suo nova lumine montes,
Sed quoq; sera rubens accendat lumina Vesper,
Quotidiè assiduis inclamant sidera votis:

A S

Si

Si nunc se nobis ille aureus aethere Christus
Ostendat strepitu in tanto, quando omnia verè
Heu nimium de te pater est, Judæe, locutus.
Nunc ô nunc Cœli solvantur rore beato,
Justiciamq; pluant Nubes: nunc pandat amœnos
Terra benigna sinûs, exoptatæq; salutis.
Et tradat gemmas, & frondes explicet omnes.
Eia age rumpe moras nostræ spes una salutis:
Eia age rumpe tuos Messia maxime cœlos,
Descende, & fatis huc te poscentibus affer.
Sis bonus ô felixq; tuis: ut numina montes
Intuitu tua liquentur: velut unda vapores
In tenues resoluta fugit superante calore,
Utq; tuum augustè perq; invida pectora Nomen
Hostes perq; tuos toto didatur in Orbe,
Et tua magna tremant concussa Numina gen-
tes.

Cernis ut insultent Latii, Cæsarg; feratur
Per medios insignis eqvo, tumidusq; secundo
Imperio, non sceptrâ regunt jam patria Judam.
Nil super imperio moveor, promissa reposco:
Certè hinc ultorem quondam volventibus annis
Hinc fore Messiam revocato à Sangvine Judæ,
Qui mare, qui terras sacrâ ditione teneret,
Pollicitus Genitor, quæ te sententia vertit.
Hoc equidem Patriæq; jugum tristesq; ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens,
Nunc eadem fortuna tuos tot casibus actos
Insequitur,

Insequitur, quem das finem Rex magne dolori?
Auxilium, adventumq; Dei, qui sanguine nobis
Ire ad conspectum cari genitoris & ora
Donet, Avernalis caput implacabile frangat
Qui colubri demitte tuis, pater optime, caelis.

Talibus orabant, oculosq; sub astra tenebant,
Et jam finis erat, rerum Pater aethere summo
Despiciens mare velivolum, terrasq; jacentes,
Littoraq; & latos populos, sic vertice caeli
Constitit, & Solymæ defixit lumina regnis;
Audiit, agnovitq; sonos & verba precantum.
Filius huic juxta Rex omnipotentis Olympi
Stabat, & Evigenûr: casûs miseratus acerbos,
Corde preces, lacrymas numerabat ab ore cadentes. "

Cui Pater aeterno fatur devinctus amore:
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Te tua gens orat, tua nunc promissa reposcit,
Verborumq; fidem, dederas quæ maxima quondam;
Esset ut Adamus Stygio damnandus Averno.
Ille etenim captusq; do'is, & fraude subactus
Dæmonis, â vetitâ decerpserat arbore foetus
Seq; simul, stirpemq; suam, & genus omne futurum
Præcipitans miser in tristes detraxerat umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam.
Jamq; tremens meritas horrebat vindicis iras
Et sceleris pœnas, nec spes opis ulla dabetur!
Cum tu, chare mihi, casu concussus iniquo
Spemq; facis dubie menti, solvisq; ti morem.

Ei

Et mihi consilium das, quo clementia victrix
Justiciæq; rigor parili decoretur honore.
Utpote fœmineo natum te semine semen
Promittis, stygias olim quod verteret arces
Venturum excidio capiti membrisq; Draconis.
Hæc quoq; tum misero nova res oblata timorem
Leniit, hic primum Adamus sperare salutem
Ausus & afflictis melius confidere rebus.
Quin & ego rigidus pridem, nunc ipse quietum
Accipio in fontes animum, mentemq; benignam.
Linqvere & ille licet jubeatur amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas,
Vota facit tamen, & plenis subit omnia spebus.

Hæc toties repetita tibi, sanctisq; Prophetis
Gens Hebræa petit, totumq; efflagitat usum
Messiæ, tum tempus adest: nunc ultima restat
Hebdomas à nostro quondam Daniele notata:
Labere Nate polo moribundos induere artus
Verus homo verusq; Deus de Virgine natus
Intacta, turpes miserorum solve reatus,
Evigentum: sæviq; caput furiale Draconis
Contere: res stygias, regnum ille tabilis aula
Erue, sicq; pios regnis transcribe paternis.

Dixerat ille Patris magni parere parabat
Imperio, cœliq; vocat felicis alumnum.
Princeps ille quidem Gabrielis nomine dictus,
Qui quondam sancto Danieli missus Olympo
Certa revelandi prædixit tempora Christi,

Hebdo-

Hebdomadasq³ sacras, & magni fœderis annos.
Mittitur hîc parvam Nasaræ legatus ad Urbem
Ut Sponsæ placitura ferat mandata per auras,
Sponsæ quam summus cœli, terræq³ Monarcha
Diligit, & firmo Dominus sibi fœdere jungit.
Jamq³ iter emensus turrez & recta domorum
Paupera cernebat Juvenis muroq³ subibat.

Virgo erat antiquâ Judæ de stirpe Maria,
Regia Davidæ proles, paupercula virgo,
Illa sedet neglecta comas, & sanguine juncti
Amosida divina manu monumenta revolvit
Miraturq³ locum: Virgo dabit innuba Pro-
lem

Immanuel nomen: nimirum hic ille Propheta,
Hunc David puerum, hunc Silob Jacobe cane-
bas,

O te felicem, te terq³ quaterq³ beatam
O virgo, quancunq³ Deus dignabitur illo
Munere! felicem me, si modòserta puello
Contigerit mihi ferre Deo, manibusq³ tenellum
Circumferre piis infantem & suavibus ulnis!
Hæc animo dudum versat nova gaudia Virgo
Limina cum transit puer actus ab æthere præ-
ceps,

Et procul, ô Salve toti gratissima cœlo
Virgo, nurûs reliquas inter benediçta, puellasq³,
Ættherii dignata Patris virgo una favore.

Obstupuit primùm aspectu Jesseia virgo

Angeli

Angelico, steteruntq; coma & vox faucibus hæsit,
Miratur juvenem, fandiq; exordia, & illa
Verba salutantis tremebundo in pectore versat.
At Juvenis timidam verbis solatur amicis,
Parce metu, Jessæa, manent immota Jéhoæ
Donatibi: cernes Christum & promissa parenti
Munera, sublimemq; feres in luminis auras
Messiam, partuq; sacrum dabis innuba Natum
Egregium & totum qui viribus occupet Orbem,
Nec terrâ imperium nec famam terminet astris.
Illum appellabis promisso Nomine Jesum,
Ille suos etenim servabit crimine ab omni,
Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia primi,
Irrita perpetuâ solvent formidine terras.
Is quoq; magnus erit: namq; illum in sceptrâ reponet
Omnipotens Genitor magno concessa Davida.
Is reget Isacides, illius numine mundus
Omnia sub pedibus quâ Sol utring; recurrens
Aspicit Oceanum, vertiq; regi; videbit.
Illi nec metas regno, nec tempora ponit,
Imperium sine fine dedit Rex magnus Olympi.
Miratur Virgo magis, & vix pauca loquenti
Subiicit, & raris perterrita vocibus hiscit:
Audio, quid narres, sed qua ratione, quod affers,
Cum non sim vinclo cuiquam sociata jugali,
Conferi possit, paucis, adverto, docebis.
Ales ad hæc oculis divinâ in Virgine fixis:
Te Pater omnipotens afflabit Numine Flatus

Jam

Jam propiore sacri, cuius virtute potenti
Concipies, hominumq; feres gravidata salutem
Inde etiam Sanctum, quod justo tempore tan-
dem

Nec nostri generis puerum nec seminis edes,
Dicetur summi Patris indubitata propago.

Jamq; tibi, nec vana putes hac fingere missum,
Signa volens dicam, tu condita mente teneto.

Helisaben tibi cognato scis sanguine junctam,

Quae quondam improlis flebat dispendia lecti;

Huic se sexta novâ jam Lunæ cornua complent

Luce, gravi Natum cum mater gestat in alvo,

Et iam tempus erit, cum felicissima reddet

Zachariam pulchrâ Seniore prole parentem,

Et tamen ambobus gelidus tardante senectâ

Sanguis hebet, frigentq; effæto in corpore vires.

Omnia namq; potest Naturæ conditor omnis

Omnipotens. Tali sacer Angelus ore locutus

Mortales visûs medio sermone reliquit,

Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

Prosequitur pia virgo: Tuum mandare, quid optes,

O Pater, at famulae mihi jussa capessere fas est.

Continuò nova lux oculis affulsit & ingens

Visus ab Aurora cœlum transcurrere nimbus;

Spiritus omnipotens rerum cui summa potestas,

Labitur ipse polo, perq; omnes diditur artûs

Virginis, & toto insinuans se corpore miscet,

Mortalem vitio massam defecat ab omni.

Plena

Plena Maria Deo, dulciq; liquefcit amore
Concipit autoremq; suum cœliq; Monarcham.
Non mihi si lingvæ centum sint, oraq; centum,
Ferre a vox, sit & Angelici facundia cœtus,
Non tamen & vel sic mysteria vincere verbis
Tanta, vel Augustis ausim addere rebus hono-
rem.

Jamq; dies alterq; dies processerat Orbi,
Cum virgo Helisaben consanguinitate propin-
quam

Visere constituens dextræ conjungere dextram
Ardebat, notasq; audire & reddere voces
Et benefacta Dei præsentia cernere coram.
Ergo egressa suis Nasareia mœnia tectis
Lingvit, & antiquam Solymorum tendit ad Ur-
bem,

Junxerat hospitio dextram, Elisabæq; salutem
Virgo precabatur primam, amplexuq; puellam
Sancta fovebat anus, toto cum corpore sentit
Exiluisse suam cæca inter viscera prolem,
Et tum plena Deo sic dictis ora resolvit:
O quàm te memorem virgo, tu sola puellas
Et reliquos inter cœtus benedicta Maria
Fœminei generis; benedictus, & inclitus ille est
Quem gestas sub corde Deum, prolemq; patremq;
Virgo tuum: verùm unde mihi tam magna re-
pentè

Affulsit, precor, astriferi clementia cœli,

Us

Ut Domini dignata mei sit mater adire
Tecta mea, atq; humiles cognatae invisere sedes?
Vix primum attig' ras limen, vix aure loquelas
Imbiberam, cognata, tuis amplexibus hærens,
Cum meus exiluit maternâ clausus in alvo
Embryo, & excepit Domini præsentia læto,
Nempe sui in tenebris cognoscens, numina saltu.
Felix, ô virgo, felix quæ credere sanctis
Non dubitas monitis, te præmia certa sequen-

tur,

Invenientq; fidem, tibi quæ prædixit Olympus!

Dixerat: Ast oculos virgo dejecta decoros
Numinis agnoscit bonitatem & prædicat ore:
Nunc anima in laudes superi resoluta Jehovæ
It mea: nunc Domino, qui pectoris intima ser-

vat,

Spiritus exultat: quia me respexit ab astris
Ætheriis humilem ancillam, nunc undiq; dicens
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis
Me ter felicem, me terq; quaterq; beatam:
Magna mihi fecit, cui claris dextera factis,
Cui nomen sanctum cujus Clementia finem
Non habet, erga homines, illum, qui rite veren-

tur.

Ille etiam Mentem dextrâ omnipotente superbas
Dissipat & celsa deturbat sede Tyrannos,
Atque humiles animis illorum in sceptrâ reponit.
si quos ante fames mala, pauperiesq; premebat,

B

Hosco

Hosce bonis saturat, vacuosq; relinquit avaros.
Ille Israelis casus miseratur acerbos,
Sermonum memor & promissi seminis olim,
Quos dederat Patribus serisq; nepotibus Abre.
Hæc Virgo, quæ voce probat maturior annis
Helisabe, conjux vultu probat illa loqvaci.

Expectata dies aderat, nixusq; propinqui
Helisabes, fit mater anus, nova gaudia surgunt,
Nascitur in lucem Vates, quo major in auras
Nec venit, nec venturo quis vivet in ævo:
Diditur hic subito cognata per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita gaudia condant;
Conveniunt ergo per limina leta frequentes,
Progeniemq; novam gratantur utriq; parenti,
Dilaudantq; Deum, qui vultu aspexerit æquo
Helisaben, sterilis reparans incommoda lecti.

Inde ubi bis quarto terras lustraverat ortu
Clara dies, veniunt, ut mascula membra puello
Præcidant, ceu sacra jubent, atq; omine magno
Zachariæ patris imponunt de Nomine Nomen.
Ante omnes negat Helisabe, longèq; recusat,
Johannemq; vocat, capit admiratio cunctos,
Hoc nomen soboli imponi, quod nemo priorum
Hacce tribu sacrâ generatus gesserit unquam:
Ergo Patri quænam sede at sententia poscunt,
Ille notat tabulâ Johannis nomina sumptâ.
Continuò sua lingua viro & facundia prisca
Redditur, atq; sacer præcordia Spiritus implet.

Jam

Jam tandem erumpit & grato carmine laudes
Concelebrat Patris ætherii, tenerumq; favorem.

Viderat hoc oculis, & hauserat omne Maria
Auribus, hincq; fidem firmat, cognataq; tecta
Linqvit, & ad patrios remeat festina penates;
Interea divinum utero quoq; pignus in alma
Creverat, & tacitam prodebat pondere Matrem;
Hoc ubi Josephus, cui quondam credita virgo
Sensisset, varias agitabat pectore curas,
Ne sacri metuens violasset fœdera lecti,
Heu quid agat, quo nunc mœrens ambire puellam
Audeat affatu, quæ prima exordia sumat?
Anne fidem ruptam & socialia fœdera clamet?
An tacitus premat, & veniam hanc condonet a-
mata?

Dumq; animum nunc huc celerem nunc dividit
illuc,

Omnia tentanti vix hæc sententia sedit,
Parcere constituit miseræ, nec spargere voces
In vulgum ambiguas, sed se quando optima virgo
Nesciat, & castos rumpi non speret amores,
Tentaturum abitus, & quæ sit causa novandæ
Dissimulaturum rebus: just' sumus unus
Namq; fuit, & magno sponsam complexus amore.

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudumq; genus sopor altus, habebat;
Cum senior tristi turbatus pectora casu
Procubuit, seramq; dedit per membra quietem.

B 2

Cui

Cui forma Aligeri vultu redeuntis eodem,
Quo primum pavidam lustravit in æde Mariam,
Obtulit in somnis clarâ se luce videndam,
Tum sic affari & curas bis demere dicitis:
Iosephe Isaide, mitte hanc de pectore curam,
Virgo etenim priscum tenet illibata pudorem;
Tantum illam Pater ætherius cœlestibus Auris
Afflavit, gravis illa Deo sub luminis oras
Promissum dabit Infantem, qui sanguine Patres
Rursus in astra ferat: quem Iesum nomine di-

ces

Crimina namq; hominum miserorum morte pia-

bit

Ipsè suâ, & cœlo reparatos inferet alto.
Ne trepida, Iosephe, piam retinere puellam,
Sed defende tuam, & ceu tutor perge fovere.
Sic fatus Juvenis nubi se immiscuit atræ,
Iosephus subitis per noctem territus umbris
Excutitur somno, stratumq; thorumq; relinquit,
Et qui sponsus erat, jam certat amore puellam
Complecti Patrio, casusq; fovere per omnes.

Tempore jamq; illo Caesar cui summa pote-

stas

Augustus, gentes terrâq; mariq; subactas
Lustrabat studio recolens, omnemq; suorum
Forterecensebat numerum: populi ordine longo
Imperio lati parent ac iussa facessunt.
Munera portantes, sua nomina quisq; fatetur.

Paret

Paret & imperio Josephus & inlita Virgo,
Ausonio nomen Regi censumq; daturi
Bethlehamq; petunt, quâ Zorobabelius ortus
Et Pater Isaias genus à quo principe ducunt.
Tum breviora tenens Capricorni signa diei
Tempora signabat lampas Phœbeia cœlo,
Et glacialis hyems constrinxerat arva rigore.
Corripuere viam Josephus, & addita Virgo
Fœta gravisq; D E O, longum tandem atq; mole-
stum.

Ambo inopes iter exuperant vix tempore longo.
Jamq; procul veterem cernebant lumine Beth-
lên,

Non ea magna quidem, sed qua non clarior ulla
Inter Judæas sacrum caput extulit urbes.
Namq; hinc progeniem quondam virtute futu-
ram

Egregiam, & totum quæ crimine solveret Orbem,
Divino quondam cecinerunt carmine vates.

Tum Virgo: salвете meo celebrata parenti
Mœnia Davidæ mihi ter salвете, quaterq;
Nunc o nunc liceat divinum reddere pignus
Sedibus in patriis, quamvis è paupere matre.
Sic quoq; Davides his olim ignobilis oris,
Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas
Imperio patris, & sylvas habitare solebat,
Donec eum superi clementia magna parentis
Imposuit solio Regem, sceptrisq; superbis

B 3

Imperii

Imperii sacrum concessit flectere gentem.
Omina magna reor: sic & Rex optime Regum
Te voluit Pater omnipotens, cui summa potestas,
Nunc & pauperiem & duros perferre labores,
Donec sub pedibus coelum terrasq; jacentes,
Pacatumq; regas Patriis virtutibus Orbem.
Sic ait, & gressus celerat rumore secundo.

De vexo interea propriis sit vesper Olympo,
Ventum erat ad sedes, & patria mœnia Bethlesæ
Qui sibi jam requiemq; via, finemq; laborum
Sperarant, his hospitio non alla patebant
Limina pauperibus; miseri totâ urbe vagantur.
Purpurei cristis Juvenes, opibusq; superbi
Indulgent vino per limina celsa frequentes,
Mutuaq; inter se læti convivia curant,
Nemo ex hoc numero consanguinitate propinquos
Josephum comitemq;, licet sint Regibus orti,
Excipit, aut fessos opibus solatur amicis.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbarum
morem

Permittit Patria? hospitio prohibetis Jovam
Qui primus vestras fundavit mœnibus urbes?
At non hæc nullis cœli terræq; Monarcha
Observans oculis, summo sedet altus Olympo,
Sed notat ingrati mores & facta popelli.
Has ipsi proprio pendetis sanguine pœnas
O miseri: te Bethla nefas, te triste manebit
Supplicium, votisq; Deum venerabere seris

Et

Et gremio hanc sobolem non excepisse pigebit;
Herodes pueros cum matris ab ubere raptos
Occidet telis, & funere merget acerbo:

Heu quanta miseris cædes infantibus instant!

Tum Senior tales referebat pectore voces

Josephus, comitem dictis solatus amicis:

Altum alii teneant, atquæ aurea tecta frequen-
tent,

Nos animæ viles congestum cespite culmen:

Fata viam invenient, aderitq; vocatus Jova.

Dixit; & angusti subter fastigia tecti

Deduxit juvenem fessam langvore viarum.

Tum victa revocant vires, fusiq; per antrum

Subjiciunt epulis, quæ cuiq; est copia læti.

Jamq; ferè mediàm cæli nox humida metam

Contigerat, placidum carpebant cuncta soporem,

Josephusq; senex correptus lumina somno,

Lenibat curas, & corda oblita laborum.

At non & felix animi Jesseia Virgo

Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem

Accipit, astant animum partes diducit in omnes

Major agit Deus atq; opera ad majora remittit.

Namq; puella sacri jamdudum provida partus

Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas:

Da, Pater, auxilium, & propius res aspice nostras.

Dixit, opemq; Dei non cassa in vota vocavit,

Continuò; nullos Lucina experta dolores,

Facta parens diâs partu sub luminis auras

Progeniem parvam, cœli cui sidera p̄arent
Infantem Dominum plena ad præsepia reddit.
Extulit os sacrum clarâq; in luce refulsit
Ante alios formâ pueros pulcherrimus omnes.
Continuò auditæ voces, vagitus & ingens
Infantis teneri, lacrymâq; per ora volutæ;
At complexa suum pia mater amore puellum
Nutribat teneris immulgens ubera labris.
Excutitur somno Josephus & àurea cernit
Omnia sublustrem noctis radiare per umbram
Atq; tremuit variâ confusus imagine rerum.
Ast ubi fulgentem adversum per limina vidit
Messian, alacris palmas utraq; tetendit,
Effusâq; genis lacrymæ, vox excidit ore:
Venisti tandem, tuâq; expectata parenti
Vicit iter durum pietas, datur ora tueri
Christe tua his terris: tu nostra incepta secun-
des

Sancte puer, superi Patris indubitata propago,
Sis bonus ô felixq; tuis: res aspice nostras.

At mater puerum pannis involvit egenæ
Pauperibus, lacrymis largis simul ora rigabat,
Multa putans animo sortem miseratur acerbam,
Et Puerum agresti sublimem in stramine ponit,
Duraq; dant viles Domino præsepia cunas.
Non tamen indecorem linquit Pater altus egen-
tem,

Progeniem, sed signa dedit manifesta favoris:

Dum

Dum sedet & lacrymis Infantem spectat obortis
Hinc Virgo, hinc Senior Josephus plurima vol-
vers,

Collecti veniunt ex agris undiq; totis
Pastores, stabulumq; petunt clamore frementes,
Ut veniunt ipsum pecora inter agrestia Regem
Effultum foliis, stipulâ, filicumq; maniplis
Inveniunt, magnoq; alacres clamore salutant.

Miratur senior, miratur & inscia virgo,
Quidvè ferant læti Pastores, ore requirit.

Tum senior placido sic pectore cæpit Odollas:
Non procul hinc turris celsas educta sub auras
Erigitur, longeq; patentia prospicit arva,
Illi nomen Eder veteres posuere coloni
A pecore, hinc quondam stabulum Jacobus habe-
bat,

Hic & nos hodiè teneros depellere fœtus,
Lanigerasq; agitare greges, caprasq; solemus,
Hanc etiam insomnes noctem dum ducimus
unâ,

Et pecudes per lata vagas dum pascimus arva,
Et tenui agrestem modulamur arundine Musam,
Ecce improvise vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repen-
te.

Terremur visu gelidus formidine sanguis
Diriguit, surguntq; comæ, vox faucibus hæret.
Continuò nova lux nos circumfulget, & unus

B 5

Agminis:

Agminis aligeri, sic dictis ora resolvit:
Solvite corde metum, tristes secludite curas
Pastores, nam vera feram, nam magna repen-
dam,

Gaudia, quibus totus letabitur undique mundus.
Accipite ergo animis, letasque advertite mentes:
Quam sacro Judae quondam de sanguine duci
Progeniem, stygias olim quae verteret arces,
Quem Christum late Regem, pressisque benigno
Venturum auxilio terris, sic volvere Jovam,
Omnia divino cecinerunt carmine vates:
Hic vobis hodie sub luminis editus auras
Bethleae Servator adest Davidis in Urbe.
Illum sub stabulividentes paupere tecto
Effultum foliis spectabitis, inque volutum
Sordidulis pannis praesepia dura tenere.
Angelus haec; mistoque ingens exorta tumuli
Leticia, erumpit caelis, atque aethera tranat
Alituum genus omne, polique exercitus omnis,
Aethera tum cœtu cingunt et carmina dicunt:
Gloria digna, Deo, Terris pax reddita surgat,
Agnoscant homines beneficia probentque Jheova.
Talia carminibus celebrant, super omnia sanctum
Adjiciunt puerum, novaque incunabula caeli.
Consonat omne nemus modulis saltusque profundi,
Ipsi leticia voces ad sidera jaectant.
Intonsi montes: ipse jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbuta Deus, Deus ille puellus.

At

At simul Angelica redeunt ad sidera turmae,
Haud secus ac iussi facimus, cunctisq; relictis
Consilia hanc omnes animisq; volentibus Ur-
bem.

Afferimur, Sobolemq; Dei nostramq; salutem.
Quærimus in stabulo jam, letamurq; repertâ.
Nunc ultrô ad cunas ipsius & ora Puelli
Adsumus, & venerande puer, te pectore toto
Accipimus: votis jam nunc assvesce vocari.
Nos tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Pastores tenerâ ferimus lanugine mâla,
Castaneasq; nuces, & amantes littora myrtos.
Te Duce nec magnos metuent armenta Leo-
nes,

Nec lupus insidias pecori meditabitur unquam,
Cum canibus timidi venient ad pocula Dame;
Omnia, quæ quondam, Amosidâ meditante, bea-
ta

Audiit Urbs Solyme, jussitq; ediscere Cedros.
Carmina Pastores repetunt, puerumq; tuentur,
Nec vidisse semel satis est, juvat usq; morari,
Flagrantésq; Dei vultus, & lumina lata
Mirantur, tantùm egregio decus enitet ore!
Tum varii obtentu præsepia floris inumbrant.
Intenduntq; locum fertis, & fronde coro-
nant,
Excubiasq; suas repetunt & carmina fun-
dunt.

Salvè

Salve vera DEI Soboles, hominumq; Volu-
ptas:

Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

Salve sancte Puer, promissum Semen Adamo
Venisti tandem, qui Thariadae Abrabamo,
Hospes, amicus eras, spes magna nepotibus, &
res.

Salve sancte puer, qui per deserta vagantes
Isacides patrio texisti numine semper.

Salve sancte puer, quis te mihi nubibus actum
Detulit in terras? Te celsa palatia cœli
Agnoscut Dominum, tibi Sol parère fatetur,
Luna, Dies, Noctesq; tuo se limine tollunt,
Armatusq; auro soli tibi servit Orion.
Te chorus Angelicus celebrat, Tibi mira recentè
Stella facem ducens multâ cum luce refulget,
Atq; tuis cunis gentes Oriente profectas
Sistit, ceu Regi tibi munera magna ferentes.

Salve sancte puer, quis te mihi nubibus actum
Detulit in terras, pannisq; involvit adefis,
Proq; domo stabulum, & præsepia dura tene-
re.

Quis te pro cunis iussit Regalibus? oro.
Nimirum, ô Samson, quamvis virtute potentem
Te genus humanum, velut altera Delila cepit,
O abiecta nimis, nec tanto Delila amore
Digna, sinûs intres ut pufio blandus amatos,
Et quasi dediscas penitus tua numina, viresq;

Infix.

*Infirmus, foveat parvum te mater alataq;
Hæcne manus cælo posuit fundamina magno?
Hi terras oculi latè populosq; tuentur?*

*Salve sancte Puer, durum præsepe relin-
que*

*Teg; mei Cordis succensam transfer in aulam.
Hic tibi certa domus, hic fixa palatia sunt.*

*Salve sancte Puer, tu Rex æternus & idem
Antistes summus, Via, Verum, Vita, Salusq;
Tu DEUS Evigenis datus es, tu Stella Moabo
Exitio veniens, Bileamo visa Propheta.*

*Tu Sol Justitia, tu Lumen mortis in umbrâ.
Esca anima, tu Pastor, Ovis, tu Vineâ, Vitis.
Tu Princeps Pacis, Tibi nato plurima fluxit
Terra Oleo: sumptis te quondam sensit in ar-
mis*

*Sennacherib; tu tela manu, tu spicula frangis.
Tu currus vasto igne cremas, & bella remittis
Ad pice torrentes atrâq; voragine ripas.*

*Salve sancte Puer pacis donator & autor,
Respice res belli varias, miserere tuorum.
Cernis, ut insultet Satanas, atq; omnia turbet.
Vindicis ille pedes nimirum instare tremiscit,
Et quoniam capiti nescit nocuisse prementis,
Membra petit, cætusq; tuos: tot mœnia flam-
mis*

*Tot ferro populos absumpsit, & omnibus urget
Insidiis, Patriâ excutiens, & sevirior instat*

Hæc

Heu rabie miseris, & n̄ tua cura resistat,
Funditus occidimus: Fratres ne desere Frater,
Sera Christicolas, & Rutæ Saxonis umbram.
Imprimis Verbi nos cœlitis aurea pascant
Pabula, & hâc maneant in Relligione nepotes.
Hanc sine nos spem ferre tui, memoresq; cane-
mus

Te puerum fratrem, te Regem, hominemq; Deumq;

F I N I S.



Arma



ARma canant alii, Patriæq; incommoda tri-
ftis

Luctificò reputent carminis usq; modò :

Tu tamen æterni celebras magmenta Jehovæ,

Ac resonas versu, dulcis amice, piò.

Quippe Redemptorem, quæ concinit, optima
Musa est;

Eius & intrepidâ munera mente colit.

Gratulor hunc animum: Tibi reddet pulchra la-
boris

Præmia perpessi, quod precor ipse, Deus.

Benevoli adfectus

ergò addebat

Martinus **Keymer** Z. L.

L.L. Stud.



1783

1784

1785

1786

1787

1788

1789

1790

Hinweise

III/9/280 JG 162/6/86

SLUB DRESDEN
3 1714341



li

De
De

Sonderstandort

|

Signum

|

Ausleihe-
vermerk

|

III/9/280 1d-G 54/60

/

